

poneretur. At, quoad id consilii non sunt exsecuti, legibus Saxonis priscis standum est. Tantum enim abest, ut Legislatores summi eo Saxonum ius abrogauerint, ut potius illud in lucem sic censuerint esse renouandum. Quod vel inde patet, quoniam in Ordinatione, qua nunc utimur, Provinciali Holsatica disertis verbis iuri Saxonico, post consuetudinem rationi naturali et constitutionibus Imperii non contrarium, primae in decidendis caussis delatae fuerunt partes, iure Romano quasi stante in limine aut atrio, velut mediastino. Vid. Ordinat. Prouincial. Slesuico-Holsatica P. II. Tit. III. §. 3.

§. XXVII.

Iuris quidem Lubecensis in Holsatiae vrbibus receptio iuri Saxonico de sua auctoritate non parum detraxit limita uitque. Putem enim, non inde a ciuitatum Holsaticarum quasi natalibus earumque prima origine Lubecensia statuta statim valuisse apud easdem in iure dicundo. Quoniam aetate ipsa ciuitates Holsatiae ius Lubecense antecedunt, et illae vero semper diuersis a nobilium Holsaticorum iure, quod *ius terrae*, das Land-Recht, in antiquis chartis audit, legibus sunt vsae, das Stadt-Recht, dictis. Vide, quae eam in rem Dn. Praeses in Programmate Dissertationi de bonis hereditate delatis a cognatis intestato mortuis statuto Lubecensi iuxta et Stadensi tum mobilibus tum immobilibus praemissso differuit. Quamquam haec ipsa antiqua ciuitatum Holsaticarum statuta Saxonis legibus, his, quod ante ostendi, in vniuersum introductis, magnam partem responderunt, indeque, quod suspicor, Saxonum ius etiamnunc in Ciuitibus Holsaticis cum Lubecensi statuto decisionum norma est, vtut subsidiaria. Ast Imperantium priuilegiis ciuitates Holsatiae iuris Lubecensis usum debent, recte iudicante Mol-

Licetque in
Ciuitatibus
Holsaticis
iuri Saxonico
eo hodie
deroget ius
Lubecense
priuilegiis
Imperantium
um illis in-
dultum;